necessaria solutio positiuorum contra eam argumentorum (licet forte aliunde secundum se aliquid veri contineret; quod ipsum tamen isti, quam expendo deest) tota sit instituta gratis, tota & ex credulitate, vt probare oportuit. Mitto alia. PR. 16.

Ad sect. 9, cui titulus est, *Refelluntur obiectiones contra dicta de necessitate formarum ab omnibus organis distinctarum in viuentibus*; vnum tantum dicam circa numerum 10, quia cætera manifeste aut nihil faciunt, aut pro me faciunt. *m* Num. autem 10 hic autor vult actionem illam vniuersalem in corpus heterogeneum, conseruatricem atque instauratricem natiui temperamenti, non posse attribui *nisi vni formæ..... quæ penetratiue insit, commune subiectum informando, & diuersos effectus in diuersis organis producendo*: idque probat, *quia*, vt subdit, *quandiu erit singulorum ex quibus constat viuens, mera extrapositio sine tali principe, & intima singulis forma; erit quoque mera contrariorum, & diuersorum pugna: & nunquam vna pars quæret id quod alteri à se diuersæ congruit; & sic nunquam fiet reparatio natiui status.* Ad hæc in primis *n* dico illud primum, quod dixi num. 335 vt & in aliis similibus: atque vt hæc ipsa refellam, quæ ille pro se in contrarium affert; addo me quoque assignare substantiam principem, cui hæc actio tribuatur, nempe illustre illud ac princeps elementum, cuius ille mentionem fecit num. 9: & sic nihil contra meum argumentum facit sua illa *o* ratione; eo præsertim, quod forma illa, quam insuper optat, est, vt fatetur num. 14, etiamque *anima in perfectis animalibus diuisibilis eo ipso quod materialis.* At eatenus pars eius vna non magis *quæret id quod alteri à se diuersæ congruit* seu quoad se, seu quoad suum organum; quam possit quærere pars una principis à me assignati elementi (vide tamen cap. 22. num. 19 & 20) ac eatenus ea ratio non mihi obest: præterquamquod animæ ex spiritibus animalibus, vitalibus &c. compactæ sub uno prædicto principe non minus tribui possunt hæc & alia similia munia, quam animæ ex nihilo factæ ac nihilominus ex subiecto productæ siue eductæ, vt intelligi potest ex dictis in phil. sacra cap. 21 prop. 17. à num. 31. Dico *p* deinde in istis etiam solita vigere præiudicia, esseque suum credulitati locum, vt intelligitur ex dictis in simili num. 36. 37

m *Argumentatur pro forma educta vt conseruatrice, atque instauratrice temperamenti necessaria.*

n *Sed ad hoc æque sufficit forma compacta, &c.*

o *Et refellitur eius argum. ex forma diuisibilitate quam asserit.*

p *Et hic etiam credulitas.*

A sect. 9 transeo *q* ad 11, quia de 10 actum est ab initio. Ad 11 igitur, cui titulus est hoc modo *Refellitur Atomistarum doctrina ex mysterio Eucharistiæ*; dico vigere in ea vel maxime præiudicium vetus cum tota eius credulitate, sub obtentu illo specioso fidei sanctissimæ; quod, vt certius intelligatur, opto vt Lector, præter alia, quæ in philos. sacra cap. 22. prop. 6. opposui argumento ex sacra Eucharistia ducto; appendicem 5 meam recognoscat à num. 37; ibi enim (vt & cæperam ibidem num. 35) agnoscet argumentum tale omne esse fallax, & petere principium; adeoque loco fidei certioris, nihil habere nisi plurimum credulitatis. 38

q *Argumentatur ex mysterio Euch. sed in hoc est petitio principij & credulitas.*

Ad sect. 12, cui titulus *Refelluntur Atomistarum responsiones ad argumentum ex mysterio Eucharistiæ petitum*: Dico breuiter quoad modos duos responsionum, quos hic autor profert num. 1 & 2; dico, inquam, *r* easdem ab illo contra primum rationes adduci, quas ego iam attuleram refellens eundem; ac proinde fateor illum bene vti ad hoc armis meis. Sed quoad 2 modum *s* non pariter agnosco eum suis fœliciter vsum; quod, vt ipse facilius agnoscat, & ego actum non agam, remitto eum ad appendicem 5 citatam, in qua sua illa arma, simul cum aliis plurimis videbit vt puto sic retusa, vt possit ea dimittere. Et addo *t* non leuiter in ista sect. 12 perinde locum esse credulitati, ac in 11; vt cognosci poterit ex dictis in simili num. 36. Et vel maxime patet ea credulitas in eo quod habet hic autor num. 13 per modum epiphonematis, *sic qui entitates physicas contra veram & receptissimam philosophiam tollunt, vltra progrediuntur, quam ipsi aduertant* &c. In his, inquam, vel maxime credulitatem includi agnoscet ex dictis in simili, num. 7 & 8.

r *Refutat primum respondendi modum, quem ego iam refutaueram.*

s *Sed non sic meum refutat.*

t *Imo in hoc elucet credulitas; præsertim in epiphonemate.*

Ad sect. 13, cui titulus est, *Ex distinctione gratiæ sanctificantis ab anima, refellitur aduersariorum doctrina*; *u* dico in primis falso mihi velut generaliter & absolute dictum attribui num. 2, id quod loco, quem ex me hic autor citat, & aliis expresse tum limitaui, tum dixi solum sub conditione, scilicet *virtutes supernaturales.... esse auxilium speciale dei concessum per modum actus, & impulsus; quatenus ex lege à deo statuta exhibetur constanter, & semper in promptu est, velut aliquid permanens.* Nam ego cap. 32 num. 18 quem citat, habeo sic. *Sed creari* eas virtutes, *& ita non educi sed infundi: nisi quis forte vellet (vt saltem de aliquibus non immerito dici posse videtur) eas consistere in auxilio quodam speciali* &c. Hæc vero quantum quæso differunt ab his quæ mihi ille imponit? Et magis tamen paulo post videbit quantum differant. Similiter vero hallucinatur in fine eiusdem sui numeri 2, vbi sic habet, *Cum etiam de visione Dei id statuat prædictus autor cap. 33 num. 18*, ibi enim ego non de visione Dei ago (quam nullus Theologorum existimauit esse habitum) sed ago de lumine gloriæ. Si vero ille sententiam, de virtutibus infusis, & gratia iustificante, meam certo nosse curasset; ea cognita, vel impugnaret modo debito, vel abstineret ab impugnatione. Nam præterquam quod loco quem citauit, ego post doctores ibi citatos dixi *creari*, quod de actualibus auxiliis non dicitur legere potuit, qui sic rimatus est mea scripta, in phil. sara cap. 21 prop. 11, à num. 2; siquidem ibi num. 7. 39

u *Impetit me quoad gratiam sanctificantem; sed falso.*